

I. N. J. C.
DISSERTATIO ACADEMICA

De

**PRÆJUDICIORUM
IMPUTATIONE,**

QUAM

Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

**MAG. JOHANN E
BILMARK,**

Histor. & Phil. Pract. PROFESSORE Reg. & Ordin.

PRO LAUREA PHILOSOPHICA

Publico Eruditorum examini subjicit

FRIDERICUS GRÅÅ.

Borea-Fennus.

IN AUDITORIO MAJORI Die X Junii

An. R. S. MDCCLXXV.

H. A. M. S.

A B O Æ,

Typis JOHAN. CHRISTOPH. FRENCKELL.

V I R O

AMPLISSIMO atque CONSULTISSIMO,
DOMINO

ERICO WALLEN.

In Reg. Dicafterio, quod Abcæ est, ADSESSORI æquissimo,
Consanguineo Honoratissimo.

Tot tantaque sunt & fuerunt illa favoris prorsus singularis documenta, quibus Tu, Consanguineæ Honoratissimo, me jam per plures annos ornatam voluisti, quot quantisque recensendis, ne dicam prædicandis, omnium minime parsum. Gratissima omnino mente TUA in me beneficia perpetim recondam, celebrarem quoque eadem, si voluntati par eloquentia mihi contigisset. Hujus autem defectu in pignus pietatis nunquam intermoritura dissertationem banc meam Graduatam TIBI offero, quod munusculum ut serena adspicias fronte, meque favore TUO in posterum etjam amplecti digneris, humillimus oro atque obtestor. Ego vicissim pro TUO TUE Familiæ perenni flore ad Supremum Numen vota fundere calidissima non intermittam, ad cineres usque permansurus

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

Cultor devotissimus
FRIDERICUS GRÅÅ.

VICE-CUBICULARIO REGIO,
PERILLUSTRI ac GENEROSISSIMO
LIBERO BARONI ac DOMINO,

D:NO **BLECHARDO**
DE LYBECKER,

DOMINO de Lechtis, Yläne, Caskis &c. &c.

PATRONO MAXIMO.

Si in adyta pectoris mei descendere, *PERILLUSTRIS ac GENEROSISSI-*
ME DOMINE BARO posses, vel si ipse verbis exprimere possem sin-
gulos animi motus, dum *PERILLUSTRE TUUM* vel audis *NO-*
MEN, quæ verba, tot indicia venerabundæ mentis hecè coneres.
Enimvero ipsa dicendorum copia ita confundor, ut eloqui an silere
præset, plane nesciam. Tanta enim in me beneficia, inde ab illo
temporis momento, quo in *PERILLUSTREM TUAM* Domum receptus
fui, exstare voluisti, quanta spem & exspectationem meam longe supe-
rarunt. Devotissima igitur, qua par est, mente tam Munificum vene-
ror *PATRONUM*, & ad extremum vitæ halitum continuo venerabor,
gratiquæ mei in *TE* animi non alius, quam vitæ erit finis. Accipe ta-
men, *PERILLUSTRIS ac GENEROSISSIME DOMINE BARO*, specimen
hoc meum Academicum ut pignus pietatis, qua *TE* jugiter prosequor,
integerrimæ. Ego vicissim preces ad Deum fundere nunquam inter-
mittam, velit *TE, PERILLUSTRIS ac GENEROSISSIME DOMINE BA-*
RO in publica commoda natum, *TE*, cujus studium aliis benefaciendi
est notissimum, Salvum & sospitem, per longam annorum seriem con-
servare, ut quas in commune consulendo conterere non recusas vires,
viribus quotidie adaugeat novis.

Ita ex intimis pectoris recessibus optat ad extremum usque vitæ ha-
litum permanens

PERILLUSTRIS ac GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

Cultor devotissimus
FRIDERICUS GRÅÅ.

DIRECTEUREN,
Ädle och Högtårade,
H E R R
**JACOB REINHOLD
D E P O N G,**

Min Högtårade Herr Morbror.


Det ynnestfulla Sinneslag jag rönt hos min Herr Mor-
Bror ifrån gryningen af min lefnad, kan ej mistycka,
om jag med dessa rader, fast på ett ofullständigt sätt, söker att
förklara min tillgifvenhet och wördnad.

Låt Min Mor-Bror at jag nu i brift af något tjänste-
gare erkänksamhets wedermåhle upoffrar åt min Mor-Bror
detta lilla arbete, ingalunda såsom swarande emot Eder gunst
och godhet för mig, utan som det redbaraste ett högtförbundet
hjerter förmår frambringa.

Förshynen tildele min Herr Mor-Bror uti ynnigaste måt-
ton allt det goda, som utgjör de wärefeligen lyckeligas glada
låt, då har jag wunnit min önskan, hwarjemte jag inneslu-
ter mig uti min Mor-Brors wanliga ynnest och med beständig
wördnad framhårdar

Min Herr Morbrors

Edminskaste tjänare
F. GRÅA.



§. I.

Inter præstantissimas dotes, quibus Deus O. M. animas humanas ornavit, loco haud ultimo ponendum erit, quod non solum ideas variarum rerum nobis formare possimus, sed easdem quoque inter se comparare, donec anima distincte perspiciat, utrum eadem inter se convenient vel discrepent; quam mentis nostræ operationem, in Idearum vel conjunctione vel separatione consistentem, Judicium appellamus. Enimvero quum anima nostra sit finita, multa opus est circumspectione antequam certi esse possimus, an ideæ, quas nobis formamus, sint rebus representatis conformes vel non, siquidem, uti experientia docet, modo organa, quorum ministerio in ideis formandis anima nostra utitur, vitium quoddam contrahere potuerint, modo res ipsæ loco nobis minus conveniente sint positæ, modo denique in ideis formandis, non tantam, quantam debuimus, attentionem adhibuerimus; in quibus casibus alia feruntur judicia, quam rerum indoles patitur. Præjudicia igitur sunt judicia, quæ vera hominibus obveniunt, quamvis a rei representatæ indole abhorreant. Quamobrem Præ-

judicium a Philosophis communiter definitur per judicium erroneam, ex precipitantia latum. Et cum operæ forte præcium sit in influxum præjudiciorum in actiones hominum morales inquirere, paucis in hac dissertatione agemus de imputatione præjudiciorum, seu quatenus homo teneatur ad reddendam rationem earum actionum, quas præjudiciis actus suscepit.

§. II.

Inter omnes fere intellectus humani corruptelas iatissime parent præjudicia, digna proinde, quibus accuratius explicandis aliquantulum immoremur. Scilicet quum oppositas alicujus rei possibilitates vel plane non, vel saltem minori, quam decet, attentione nobis sistimus, propositio ipsa hoc, quo enunciatur, modo nobis efficitur probabilis. Quod si igitur ulteriori examine supersedeamus & ista probabilitate acquiescamus, non inquirentes in originem, fundamentum vel quantitatem, sensim sensimque incipimus, propositionem istam firmiter credere, tum pro certa & adeo evidenti habere, ut in dubium ipsa amplius vocari nequeat. Quod si aliquoties contingat, & si judicio nostro ita comparato ad alias res dijudicandas utamur, siquidem quoties applicamus aliquam enunciationem, toties eandem cogitare necesse habeamus; judicium istud nostrum sine sufficiente probatione adoptatum in plenam abit convictionem, & hinc præjudicium oritur. Quare etiam præjudicium definiri potest, per habituale judicium de re quadam sine sufficiente probatione formatum, ex quo itaque inscii ratiocinamur. Præjudicium igitur per accidens etiam vera propositio nonnunquam esse potest. Non omnes autem errores, sed duntaxat habituales præjudiciorum nomine insigniri, ex usu loquendi constat. Quod si altius ad

adhuc repetenda foret præjudiciorum origo, atque ratio esset reddenda quare hoc ipsum in nobis contigerit, ut tunc cum orirentur præjudicia ad rei opposita consideranda nos non converterimus, sed errorem nobis obrepere passi simus? haud difficulter invenitur, quid ad isthanc quæstionem sit respondendum. Scilicet ratio hujus sita esse potest in notionum nostrarum obscuritate atque imperfectione, qua, dum præcipitanter agimus, fit, ut rem propositam cum aliis similibus præpostere confundamus, ideoque fidenter isti tribuamus, quæ de his nobis innotuerunt aut perspecta sunt. Causa porro hujus latere potest in falsa ratiocinatione sive illa peccet in materia sive forma. Hoc etiam modo fieri potest, ut contrarium alicujus propositionis impossibile esse judicemus, antequam debita cum attentione inquisivimus, ad illud sit revera tale vel non.

§. III.

Quamvis operationes intellectus nostri suis actionum Legibus a Deo sint adstrictæ, secundum quas ita agunt, ut aliter agere nequeant (*); docet tamen experientia, quod facultates intellectus nostri non semper ea, qua decet, claritate agant, nec singula simul considerare & expendere possint; quamobrem causa egent excitante & ad objecta cognoscenda ipsas dirigente, quæ partim est sensatio, partim quoque voluntas, sicut ex domestica cujusvis experientia constat. Scilicet in nostra potestate omnino situm est, utrum, quamdiu & quomodo rem quamcunque propositam considerare velimus, ad quasnam ejus partes vel circumstantias magis vel minus animum advertere velimus, a quibus iterum attentionem prorsus avertere placeat, ubi subsistere velimus, cum quibus etiam aliis cognitionis nostræ partibus objectum præsens con-

conferre libet, & quam sollicitos atque constantes nos in tali negotio gerere haud gravemur, quantum denique operæ in intendendis reliquarum cogitandi virium nervis collocare velimus. Ex quibus omnibus dilucide patet, quod in illam intellectus operationem, qua ideas inter se conferimus, easque vel jungimus vel separamus, insignis sit voluntatis influxus, immo si intellectus suo nunquam munere non rite fungatur, sed falsum pro vero apprehendat, culpa præcipua in voluntate nostra sit quærenda. Nam si isthæc facultas intellectus circulos non turbasset, ad liquidam rei cognitionem facile pervenimus, unde prona fluit consequentia, quod præjudicia ad actiones humanas voluntarias sint referenda. Id quod exinde etiam confirmatur, quod si vel duo eandem rem considerant, vel unus diversis temporibus eam sub examen revocet, diversam non raro de eadem, præsertim si ipsa aliquantum complicata fuerit, ferant sententiam; quamvis eorum intellectus tam in idearum formatione quam easdem combinandi modo eadem ratione sese habeat. Quod igitur in altero sanum est iudicium, in altero in præjudicium degenerat, quæ discrepantia ex diversa utriusque voluntate potissimum erit derivanda.

(*) Faciat quis hujus rei periculum & videat, num possit sibi ræpresentare quadratum ut rotundum, vel circulum ut rectangulum, nigrum ut album, & album tamquam nigrum; num possit serio credere, quod bis duo sint quinque, quantumvis etiam illud exoptet. Intellectus itaque non potest non verum, quod pro tali habet, ut verum, & falsum, quod pro tali habet, ut falsum agnoscere, sive recte iudicet, sive etiam decipiatur. Paucis: intellectus est facultas mentis non libera, sed necessaria.

§. IV.

Plenius adhuc constat, quod præjudicia a voluntate nostra dependant, siquidem hæc ipsa per appetitum & aversationum, quæ facultates sunt voluntatis nostræ, interventum, sæpissime existant. Quilibet enim ex appetitu agens aversatur ea, quæ appetitui illi contrariantur, unde sequitur, ut hujusmodi homo aciem mentis ad opposita rei oppositasque enunciationum possibilitates non attendat, sed si quandoque ex accidente ad illas considerandas deferatur, potius, quamprimum commodissime fieri potest, cogitationem de ipsis sponte supprimat & obscuret. Dum enim cupimus, tendimus ad existentiam objecti; Ens autem existens, est verum; Ergo nitimur, ut vere obtineamus objectum, & de illo vere obtento certam habeamus cognitionem. Enimvero cogitatio oppositarum possibilitatum aversatur persuasioni de veritate & certitudine objecti prius concepta; Ergo aversatur etiam cupiditati; quamobrem a cupiditate efficaciter operante præpeditur. Ubi autem oppositi possibilitatem non cogitamus, ibi ad rem talem, qualem nobis sistimus, credendam statim sumus propensi; plus enim rationis nobis habere videmur, cur rei veritatem adsumamus, quam existentiam alicujus rei oppositorum: illius enim possibilitatem tamquam admodum facilem cogitamus, oppositum autem non cogitamus. Inde facile intelligitur, cur quæ cupiunt homines, ipsis etiam probabilia, immo certa occurrant, quæ autem ipsi aversantur, partim improbabilia, partim manifesto falsa videantur. Quamobrem ex cupiditate & aversatione plerumque oriuntur erronea de rebus judicia, quæ uno nomine appellantur præjudicia; quibus itaque non alia, quam vincibilis, prætendi potest ignorantia. Et licet non negaverim, quin præjudiciorum, ut aliorum habituum, magna sit vis & effi-

cacia, possunt tamen eadem, æque ac pravæ consuetudines sensim imminui, si modo homo sedulam cogitationem & continuam curam, ne decipiatur, impenderit.

S. V.

Imputatio, voce hac latius sumpta, denotat quodcumque iudicium de auctore & de consuetariis actionis, sive illud ab ipso agente, sive ab alio quocumque fuerit formatum. Quod si generali hocce sensu sumatur imputatio, evidens est, quod ipsa & conscientiam consequentem, ceu dici solet, & existimationem activam, quæ est aliorum de actionibus nostris iudicium, complectatur. Strictius autem sumpta *Imputatio*, est actus, quo quis pro auctore alicujus facti habetur, & ad rationem ejus reddendam obligatur. *Auctor* autem ille dicitur, qui sciens atque volens actionem quandam suscepit, qui proinde a nullo alio ad agendum fuit coactus, sed sese ad agendum sponte sua determinavit. Hinc igitur statim apparet, quod actiones necessariæ ejus sint indolis, ut homini imputari nequeant: quum enim necessarium sit, cujus oppositum est impossibile, evidens est quod in actionibus necessariis homo passive tantummodo sese habeat, voluntasque nostra ad opposita sese inflectere nequeat: Ergo homo non potest censeri auctor actionum necessariarum, quare nec tales actiones, homini ex merito imputantur. Et quoniam oppositorum opposita est ratio, sequitur actiones voluntarias auctori suo recte imputari. Quum enim in factis voluntariis homo sponte sua sese determinet ad agendum & quidem ad agendum illo, qui ipsi maxime arridet, modo, auctor actionis suæ haberi debet, adeoque imputationis requisita hæc adsunt. Quid? Quod ipsa vincibilis ignorantia merito imputetur; siquidem, si agens voluisset, potuisset omnino
per

per debitam attentionem ad liquidam rei substratæ cognitionem pervenire. Ex quibus in medium allatis sine ambagibus concludimus, quod præjudicia homini ex merito imputentur; quum enim ipsa ex voluntate potissimum dependeant; nec alia, quam vincibilis tantum ignorantia illis prætendi queat; sequitur eadem ex merito imputari homini, qui eorundem potius, quam sanæ rationis sequitur ductum. Id quod plenius adhuc demonstrari posset, si præjudicia quædam practica per temporis angustiam expendere nobis nunc liceret, sed hac impediti filum meditationum harum nunc abrumperere cogimur.

S. D. G.



